

L. ANNAEI SENECAE, AD LUCILIUM,
 NATURALIUM QUAESTIONUM

LIBER I.

PRAEFATIO.

Quantum inter philosophiam interest, Lucili virorum optime, et ceteras artes: tantum interesse existimo in ipsa philosophia, inter illam partem quae ad homines, et hanc quae ad deos spectat. Altior est haec et animosior. Multum permisit sibi, non fuit oculis contenta: majus esse quiddam suspicata est, ac pulcrius, quod extra conspectum natura posuisset. Denique tantum inter duas interest, quantum inter Deum et hominem. Altera docet, quid in terris agendum sit: altera, quid agatur in coelo. Altera errores nostros discutit, et lumen admovet, quo discernantur ambigua vitae: altera multo supra hanc caliginem, in qua volutamur, excedit, et e tenebris ereptos, illo perducit, unde lucet. Equidem tunc naturae rerum gratias ago, quum illam non ab hac parte video, quae publica est, sed quum secretiora ejus intravi: quum disco, quae universi materia sit, quis auctor sit, aut custos: quid sit Deus, totus in se intendat, an ad nos aliquando respiciat; faciat quotidie aliquid, an semel fecerit; pars mundi sit, an mundus: liceat illi hodieque decernere, et ex lege factorum aliquid derogare; an majestatis deminutio sit, et confessio erroris, mutanda fecisse. Necesse est enim ei eadem placere, cui nisi optima placere non possunt: nec ob hoc minus liber et potens est, ipse enim est necessitas sua. Nisi ad haec admitterer, non fuerat nasci. Quid enim erat, cur in numero viventium me positum esse gauderem? An ut cibos et potiones percolarem? ut hoc corpus causarium ac fluidum, periturumque, nisi subinde impleatur, sarcirem, et viverem aegri minister? ut mortem